



Boehmer Trage 1798 nr. 1^d ist hinter } eingeklebt
1798 nr. 4^b statt " }
" nr. 7^c

21

DE

LIBERTATE ROMANA CIVITATIBVS
GERMANIAE OLIM CONCESSA.

1727 7

SCRIPSI

ET

PRAESIDE

CAROLO SALOMONE ZACHARIAE

L. U. ET PHIL. D. I. FEVD. P. P.

DIE IV. MENS. AVG. A. CIOIOCCXC VII.

H. L. Q. C.

DEFENDET.

FRIDERICVS HENRICVS LVDOVICVS LEOPOLD

MAGDEBURGENSIS.

VITEBERGAE

LITERIS CHRISTIANI PHILIPPI MELTZERI



DE
LIBERTATE ROMANI CIVITATIS
GERMANIAE OVM CONCESSA

FRANCISCA
CAROLO SALOMONE SACHSIAE

FRANCISCA SACHSIAE
AD HOC



DE LIBERTATE ROMANA CIVITATIBVS GERMANIAE OLIM CONCESSA.

§. 1.

In tradendis originibus, quas status publicus civitatum Germaniae, h. e. earum universitatum, quibus ius est commerciorum et popificiorum,¹⁾ habuit, scriptores, in primis recentiores, discriminis, quod olim inter civitates *libertate Romana*, et inter civitates *libertate Francica* donatas, obtinuerit, mentionem iniiciunt. Quemadmodum autem, dudum ab aliis demonstratum esse videtur,²⁾ hanc distinctionem, si rem spectes, quo plerique eam pertinere volunt, temere et contra historiae fidem factam esse, ita hac dissertatione ostendere, apud animum constituimus, certe nomen, quo duplex illud civitatum genus hodie appelletur, sicubi in tabulis antiquis occurrit, alio sensu fuisse usurpatum.

§. 2.

Quo autem, quae infra de hac re disputabuntur, facilius intelligi possint, nonnulla de discrimine, quod inter urbes Germaniae sub prima

A 2

ma

1) Cf. Eisenhart (E. L. A.) Versuch einer Anleitung zum deutschen Stadt- und Bürgerrechte. Braunsch. 1791. 8. §. 1. quae ibi laudantur scriptores. Quod enim tum demum civitatem existere volunt, ubi cives suo magistratui obtemperant, recte quidem illi praecipiant; sed universalitas, quatenus est persona moralis,

sine magistratu suo ne cogitari quidem potest.

2) Concessisse fere rem videtur Struben in horis subsecivis, P. I. D. 5. von den Hoheitsrechten mittelbarer Städte, et P. 5. D. 38. von den Städtlichen Reichsvogteyen. Cf. praeterea, quae infra §. 2. not. 8. de eadem re obiter monebuntur.

ma earum initia intercessit, praemittenda sunt. 3) Et sub Carolidis quidem,

3) De originibus urbium nonnulla adii-
cere placet, ne cui civitatum Germaniae,
antequam existissent, mentionem fecisse
videar. Nullae antiquitus, teste Tacito de
situ, moribus et populis Germaniae, c. 16.
Germanorum populis urbes habitatae sunt.
Postea quidem plures a Romanis ad Rhe-
num et Danubium conditae. Sed easdem
expeditionibus gentium Germanicarum in
provincias Romanorum funditus ever-
sae. Cf. Nic. Hert. Notit. vet. Germ. popul.
P. I. c. 1. §. 5 et 13. eiusdemque Notit.
Franc. vet. c. 3. §. 33. in Opusc. T. II.
Struben in hor. subiec. P. V. D. 38. §. 4.
Germani, postquam fixas in provinciis oc-
cupatis sedes nacti sunt, mox mercatura et
artibus laetius efflorescentibus, cf. Fischers
Geschichte des deutschen Handels. Han-
nov. 1785. P. I. §. 152. sqq. I. G. Boehmii
com. de commerciorum apud Germanos
initis. Lips. 1751. 4. p. 12 sqq. E. M.
Chladenii D. de increm. et iuribus mercatu-
rae in Germ. Vit. 1763. 4. p. 4 sqq. et F.
G. Anton über die alten Slaven. Leipz.
1785. 8. P. I. p. 149. P. II. p. 99. tam opifio-
riorum, quam commerciorum causa, una
habitare, vel familiam cogere coeperunt:
qui coetus civitates vel villae vel castra ap-
pellati sunt. Cf. Cangii Glossar. h. v.
Cave tamen, ne hos coetus eo, quem supra
delineavimus, sensu civitates fuisse existi-
mes. Neque enim his ius nomenque *uni-
versitatis* tribdere possis. Quod tamen
postea hoc maxime modo consecuti sunt;
1) cum suum magistratum, fidosque prae-
sides eligere coeperunt, quibus dom-
estica negotia (cura politicae) com-
missa sunt. Quando tamen suos tibi con-
sules creare coeperint, non satis constat:

nec ubique eodem tempore hoc factum est.
Tamen iam sub Carolidis huius rei vestigia
mihi deprehendisse visus sum. Sic v. c.
in Cap. Caroli Calvi d. a. 864. c. VIII. l. I.
ministrorum reipublicae sit mentio, quos
non iniuria huc retuleris. Accedit, quod
a villanis societates, eo in primis consilio
initae sunt, ut se a raptoribus vel ab incen-
ditorum periculis defenderent, quae Gildae
seu Gildoniae appellatae sunt, nec sine
praeside quodam esse potuerunt. Cf. Cap.
Carolomanni d. a. 883. ap. Baluz. T. II. p.
290. c. 16. et Cap. d. a. 789, ibidem T. I.
p. 198. c. 16. Cf. Struben in hor. subiec.
P. IV. D. 25. §. 2. P. V. D. 41. §. 4.
Dissentit de temporibus regum Francorum
I. P. Krefis in vindictis iustitiae iudicii re-
cuperatori. etc. Helmst. 1736. 4. c. 2
§. 2. sqq. 2) Accesserunt privilegia, qui-
bus ius nundinarum et alia iura civitatibus
concessa sunt. Cf. Pfessingeri Vit. illustr.
P. III. p. 177 sqq. quibus successu temporis
ius oppidanum seu libertas civica absol-
vatur, cuius in universum concessi iam an-
no 1029. exemplum occurrit in Buder
Sammlung nützlicher Urkunden, P. I. p.
427. 3) Denique illud etiam in causa fuit,
ut coetus isti in universitates quasdam co-
alescerent, quod loca, in quibus mercatores
et opifices degerent, moenibus cincta sunt.
Dudum quidem explosa est fabula de Hen-
rico I. primo civitatum per Germaniam
conditore. Vid. Spittler com. de origine
et incrementis urbium Germ. in comment.
Societ. regiae scient. Gott. Vol. IX. Class.
historica, p. 82. et eiusdem Gesch. von Han-
nover. P. I. p. 22. sqq. Cf. tamen, quae contra
hunc monuit Iul. A. Remer Abriss des gesell-
schaftlichen Lebens in Europa bis zum An-
fange

dem, ante quos vix ulla urbium vestigia per Germaniamprehendendis, haec fuit, auctore Carolo Calvo, (in cap. d. a. 864. c. 8. in Baluz. capit. T. II. p. 177.) civitatum villarumque divisio, ut aliae essent *indominicatae*, 4) aliae de *immunitate*, 5) aliae de *comitatu*, 6) aliae denique *hominum regis*. 7)

Imperator enim, l. l. id agens, ut omnes ac singulas regni civitates partitione complectatur, has earum species constituit. Ratio discriminis a iure reditus ex civitatibus percipiendi, sive ab iis, quibus serviebant cives, repetita esse videtur. Contra ea, ad statum publicum, h. e. ad magistratus, quibus parebant, respicere nec voluisse nec potuisse

A 3 fe

fange des 16ten Jahrhunderts nach dem ersten Theile von Robertsons Leben Carls V. bearbeitet. Braunschw. 1792. 8. p. 408 ff. Nec tamen negari potest, institutum, quod in primis inde a tempore Henrici Germani secuti sunt, ut urbes moenibus cingerent, maximam vim in origines civitatum habuisse. Ita enim factum est, ut, quae essent univerſitatis membra, diligentius definiretur, ut defensio urbis, quae publice suscipienda esset, cives magis magisque in unum corpus cogeret, etc. Itaque nec mirum esse potest, si illae univerſitates hac nota ab aliis olim distinctae sunt, quod loca, quae incolerent, moenibus essent cincta. (Per proverbium: Burger und Bure scheidet nichts, wenn de Mure. Cf. Hert. de Paroem. Iur. Germ. L. II. p. 10.) Perperam tamen illi statuunt, qui hodieque, ut Puffendorfius in obs. T. II. p. 163. in app. alique, qui ibi laudantur, ab hac re definitionem civitatis repetunt.

4) Dicuntur etiam dominicales, fiscales, publicae, regiae, etc. Erant illae, quae in dominio regis erant. Incolae dicebantur fiscalini, villani, servi, regique erant ob-

noxii. Cf. Cangii Gloss. h. h. v. v. et infra §. 3.

5) Civitates, villae, bonae de *immunitate*, dicebantur ea loca, quae, quod in dominio vel tutela ecclesiae erant constituta, a pensionibus sisco regio praestandis erant libera. Cf. Tabulas, quae rem pluribus illustrent in G. C. L. Preuschen Nachricht von der Regierungsart derer Städte in Deutschland unter den Karolingern und Sächsischen Königen, in Schotts juristischem Wochenblatte, P. III. Leipz. 1774. 8. n. 8. p. 84. et M. I. Schmidt Geschichte der Deutschen, P. I. (Ulm, 1785. 8.) L. II. c. 9. p. 357.

6) Civitates et villae de *comitatu* illae fuisse videntur, quae comiti beneficii loco a rege concessae fuerant.

7) Intelligit h. l. imperator eas civitates et villas, quae optimatibus, cum in praediis eorum nexu feudali haud obstrictis sitae essent, serviebant. Exempla civitatum eiusmodi extant ap. Wittekind. Corbej. in anal. L. I. in Meibom. Scriptt. Rer. Germ. T. I. p. 635 et 644.

se videtur, siquidem tum omnes civitates ac villae, comitum ducumve potestati subiectae fuisse, iure meritoque censentur.⁸⁾

§. 3.

Sub imperatoribus stirpis Saxonicae alia urbium divisio frequentari coepta est. Tum enim civitates vel *regales*, vel *praefectoriae* fuerunt.⁹⁾ Quoniam autem non una est omnium de significatione huius adpellationis sententia, videtur tamen illa a statu civitatum publico, iisque, quorum potestati et imperio subiectae erant, repetita esse. Regales erant, quibus advocatus vel ab ipso imperatore, vel ex privilegio et auctoritate imperatoris praeficiebatur; praefectoriae autem, quibus magistratus a duce comiteve constituebatur.¹⁰⁾

Scilli-

8) Cf. Lehmanns Speierische Chronick. L. II. c. 18. Struben l. l. supra §. 1. n. 2. Conring de urbibus Germ. §. 51. Krels l. l. aliosque. Nusquam in Capitul. Reg. Franc. villae et civitates, ne regiae quidem, a iurisdictione comitis exemptae fuisse traclantur. Quin testimonia in contrarium existant. Cf. Capit. Car. M. de villis et Capit. I. d. a. 806. c. 4. ap. Baluz. l. 442. et ibidem collect. Capitul. ab Anselmo Abbate et Benedicto Levita confecta, L. II. c. 25. L. VI. c. 100, 101. V. 11. Greg. Tur. L. VI. c. ultimum. Praeterea comes in loco praecipuo pagi sedem plerumque habebat suam, cf. Cangii Gloss. v. comitatus.

9) Antiquissimae tabulae, quae huius discriminis, quantum equidem scio, mentionem faciunt, sunt litterae Ottonis II. d. a. 974. Eadem divisio occurrit in tabulis Ottonis III. d. a. 990. et Henrici Imp. d. a. 1005. quae omnes existant in Nic. Zyllesii defensione Abbatiae S. Maximini. (1638.

fol.) p. 25, 28, 29. nec, quod mireris, ab iis omnibus, qui de hoc discrimine differunt, aliae praeterea tabulae allatae sunt, in quibus civitatum praefectoriarum, mentio fiat. (Nam regiarum seu regalium civitatum appellatio est frequentissima.) Omnes, quotquot vidi, Zyllesio testimonium deserunt. Quodsi auctores et tabulae, postea vere de civitatibus praefectoriis, silent, (nec licuit mihi invenire huius adpellationis recentiora vestigia) id inde repetendum esse, existimaverim, quod partim comites et duces mox alio titulo, quam iure praefecti, potestatem sibi in has urbes arrogarunt, partim etiam dynastiae ad summam imperii in territoriis suis aspirarunt.

10) Nostram sententiam sistent Hert. in D. de Specialibus R. G. l. rebus publicis, Sect. I. p. 6. in Opusc. Vol. I. T. 2. p. 94. F. D. Haebelin Reichshistorie, T. I. p. 94 et 321. Olenchlagel neue Erläuterung der güldenen Bulle, p. 301. Runde, Grundsätze des allgemeinen deutschen Privatrechts,

Scilicet tam eae civitates, quae temporibus regum Francorum regales appellabantur,¹¹⁾ quam illae, quas immunitate usas fuisse vidimus,¹²⁾ a potestate ducum vel comitum, postea temporis fere exemptae sunt:

rechts, §. 426. At Struben in hor. subsec. P. V. D. 38. §. 7. notam, qua civitates regales et praefectorias distinguit, non solum ab iis, quibus potestas in has civitates fuerit, sed etiam a iure redditus inde percipiendi repetit. Regales illas fuisse vult, quibus imperator advocatum, aliumve magistratum constitueret, quaque silco regi essent tributariae. Praefectorias in potestate ducum comitumve fuisse, et vel huic, vel nulla tributa pependisse. Sed minus recte a viro summo hanc notam esse adiunctam, vel ex iis intelligitur, quae infra de civitatibus, quae immunitate donatae erant, ad regales relatis disputabuntur. Mauritii sententia, (in eius historisch-diplomatischen Abhandl. vom Ursprung der Reichsstädte, etc. Francf. et Leipz. 1756 4.) qui urbes regales, suo ab initio magistratu usas fuisse, suisque legibus, municipiorum Roman. instar, vixisse; praefectorios autem ducis vel comitis advocative imperio paruisse vult, a Struben l. l. iure meritoque explosa est. Denique Schmidt, scriptor alioquin diligentissimus (in der Gesch. der Deutschen, P. II. Ulm, 1786. L. IV. C. 11. p. 164.) praefectorias civitates a duce vel episcopo nomine imperatoris administratas et iis civitatibus, quae in dominio ducis vel episcopi erant, oppositas fuisse censet. In quo tamen tabularum fide manifesti erroris convincitur.

11) Causae, cur imperatores hoc confilium secuti sint, exponit Oleneschlager l. l. Tempus, quo civitates regales, certe ampliores, a iurisdictione comitum exemptae

sint, cum tabulae de hac re non existant, (cf. Moritz l. l. p. 44.) certo definiri non potest. Quod monumentorum istius aevi silentium inde fortassis repetendum est, quod advocati, v. Cangii Gloss. IV. Advocatus col. 96. edit. noviss. vel iudices, vid. Cap. Car. M. de villis, C. 52, 56, vel actores, vid. Cap. Ludov. Pii de a. 829. c. 9. ap. Baluz. T. I. p. 667. qui villis, quamquam sine potestate ius dicendi praerant, sensim, partim volentibus, partim invitis comitibus, hoc etiam ius consecuti sunt. Si quis l. l. diligentius inspexerit, intelliget, iam tempore Carolidarum hanc advocatorum potestatem cepisse initium.

12) Sic v. c. Magdeburgum, licet advocatus urbi ab episcopo praeficeretur, urbs regia appellatur, a Wittekindo in annal. in Meibom. Script. Rer. Germ. T. I. p. 644. Cf. praeterea, quae de civitate Bremensi habet Adam. Brem. in hist. eccl. L. II. c. 1. Quare perperam urbes, quae immunitate donatae fuerant, quibusque advocatus ab episcopo constituebatur, ad praefectorias referre videtur Eisenhart l. l. §. 5. p. 11. Accedit, quod eiusmodi urbes in peculiari regis tutela constitutae erant. Cf. Privilegium Ottonis l. d. a. 966. ecclesiae Hamburg. concessum ap. Meibom. l. c. p. 751. Placet praeterea, has de urbibus immunitate donatis, quae iam inter regias relatae sunt, adicere observationes. 1) In vulgus notae sunt discordiae, quae de libertate istarum civitatum postea temporis agitatae sunt. Originem habuerunt in primis inde, quod iam tum, sub imperatoribus stirpis Saxo-

sunt: quo facto a praefectoriis, quales olim omnes fuerant, et re, et nomine distingui coeptae sunt.¹³⁾

§. 4.

Aliud praeterea discrimen, quo civitates inde ab antiquissimis temporibus a se invicem distinctas esse volunt, his, de quibus hactenus disputatum est, vulgo adiungunt. Alias *libertate Romana*, alias *libertate Francica donatas* fuisse existimant. Quam quidem sententiam inde ab originibus suis repetere placet, cum in eadem examinanda libellus quodammodo versetur. Auctor eius fuit Io. Sam. Treuer.¹⁴⁾ Civitates, *libertate Romana donatas*, suo magistratu, i. e. consulibus, senatoribus, scabinisque voluntate civium creatis usas fuisse, eas autem

Saxonicae, velut mediae inter civitates regales proprie sic dictas et praefectorias erant. Ad naturam civitatum praefectoriarum eo accedebant, quod cives non imperatori; sed episcopo erant obnoxii, et tributa pendebant; sive cives inde a primis civitatis incunabulis, sive imperatorum liberalitate in ius et tutelam episcoporum concessissent. Ad regaliū dignitatem accedebant, quod advocatus ab episcopo quidem, sed tamen auctoritate imperatoris iis praeficiebatur. 2) Discrimen, quod olim inter civitates imperii et civitates imperii liberas obtinuit, cf. Pfeffinger in Vitruv. illustr. T. II. p. 775. lqq. quique ibi laudantur, N. Hart. de special. R. G. I. rebus publicis l. c. p. 95. et Prifer D. de civitatibus imperialibus, speciatim Ulma sub Rudolpho I. Helmst. 1774. §. 5. ex hoc ipso discrimine, quod iam tum inter civitates regales, prout vel sisco regis, vel ecclesiae obnoxiae erant, fuit, repetendum esse videtur. Intelligitur enim, civitates imperii liberas, (quas propterea ex civitatibus illis

antiquis *de immunitate* ortas esse contendimus,) in eo libertatis sibi concessae ius possidere, quod sisco regis tributa solvere haud tenerentur. Vid. literas a senatu Argentoratensi ad Fridr. III. a. 1458 datas, quibus tributum ab imperatore imperatum hac de causa solvere recusant, quod civitas inter liberas imperii civitates semper relata fuerit, apud Pfeffingerum, l. l. p. 778. add. I. D. Olenfchläger origines iuris publici I. R. G. illustr. ex rebus Imperat. Saxon. Lips. 1752. 4. §. 29. Accedit, quod omnes, quae in his numerantur urbes, sede episcopali instructae fuerunt.

13) Exstant praeterea exempla, urbes, quae tum erant praefectoriae, postea temporis suis opibus, non studiis episcoporum, inter regales esse relatas. Vid. quae de libertate a civitate Lubecensi acquisita, narrat Spener in Iure Publico Germ. L. IV. c. 5. p. 182.

14) In D. L., qua logomachiam de civitatibus mixtis in Iure publico obviam discutit. Gott. 1742. C. I. §. 8.

autem, quas *libertate Francica donatas* appellat, imperio ducis, vel comitis et advocati paruisse existimat. Distinctionem, quae tempore Imperatorum stirpis Saxonicae inter civitates imperiales seu regales et praefectorias facta sit, hinc duxisse originem. Regias enim fuisse et dictas esse eas civitates, quae libertate Romana donatae essent. Argumenta, quibus sententiam suam confirmet, huc fere redeunt: 1) Testimonium defert Odiloni in vita Adelheidae imperatricis c. 7, in Leibnizii Scriptoribus Rerum Brunswicensium, T. I. p. 165. ubi haec verba occurrunt: » Ante duodecimum circiter annum obitus sui (Adelheidae Imperatricis)¹⁵⁾ in loco, qui dicitur Salsa, urbem decrevit fieri sub *libertate Romana*, quem affectum postea ad perfectum perduxit effectum.« 2) Provocat ad civitatem Argentoratensem, quae, quod iure municipii Romani etiamnum uteretur, ab omni iudicis extranei iurisdictione libera fuerit. 3) Denique civitates Italicas, iisdem privilegiis et iure municipali Romanorum usas fuisse, ex Sigonio de regno Italiae L. VII. c. 175. ostendit.

§. 5.

Contradixit huic Struben,¹⁶⁾ et tabularum scriptorumque fide ostendit, tam Argentoratam, quam alias civitates regias, primo sub comitibus et advocatis fuisse. Privilegium Argentoratensibus concessum, cuius mentionem Treuerus fecerat, ad ius de non evocando, unice esse referendum. Itaque discrimen, quod ille inter civitates regias et praefectorias fecisset, nullo modo defendi posse; nec tamen sibi constare, quid sub libertate Romana Odilo intellexerit.

§. 6.

Treueri causam postea defendendam in se suscepit Moritz,¹⁷⁾ magno ille

15) Perperam Treuer et Struben de Orione M. sermonem esse volunt. Patet ex iis, quae antecedunt, de Imperatrice locum esse intelligendum. Quod notatu esse di-

gnissimum, intelligitur ex iis, quae infra §. 11. disputabuntur.

16) In hor. subsec. P. I. D. 5.

17) In libro supra §. 3. not. 10. laudato.

ille doctrinae apparatus, ostendere conatus, civitates *regias* proprie sic dictas suis magistratibus suisque legibus, denique iure municipiorum Romanorum usas fuisse; quapropter libertate Romana donatae fuisse dicerentur. Nec tamen ille alium scriptoris locum affert, in quo libertatis Romanae civitatibus concessae mentio fiat. Refutavit hunc novum sententiae a Treuero propositae patronum idem ille (Struben,¹⁸⁾ et maiori exemplorum copia demonstravit, omnes olim regni Francici et Germanici civitates sub imperio comitum et advocatorum fuisse. Libertatis vero Romanae civitatibus concessae hanc fuisse rationem consiicit, (§. 8.) ut in iis urbibus, quae hoc privilegium impetrassent, senatores et scabini unum idemque collegium constituerent; nec tamen ullam, qua coniecturam confirmaret, rationem adiecit.¹⁹⁾

§. 7.

In Treueri sententiam postea plerique omnes, qui de originibus urbium tradidere, concesserunt, Olenchlager,²⁰⁾ Boehmer,²¹⁾ Schmidt,²²⁾ Runde²³⁾ aliique. Nec tamen illi, si ab auctore commentariorum in auream bullam recesseris, novis sententiam rationibus confirmant. Hic vero duo potissimum loca attulit, quibus civitates libertate Romana illa olim donatas fuisse ostenderet, quae hoc ipso in loco examinare placet, quia ad rem nostram minime pertinere videntur. 1) *Primo* Ottones, cum civitates regales per Saxoniam in Romanum

18) In hor. subseciv. P. I. D. 38.

19) Verba haec sunt: An einigen Orten ist der Rath und die Schöppenbank nicht ein Collegium gewesen. Diese Vereinigung mag; vielleicht nur anfangs in den civitatibus libertate Romana donatis geschehen seyn. Dafs ich von einer ungewissen Sache nichts Gewisses bestimmen kann niemand mit Vernunft misbilligen.

20) Vid. eius Neue Erläuterung der goldenen Bulle, p. 365.

21) Vid. G. C. Boehmer de iure fisci, civitatibus mediatis vi concessi iuris Lubecensis non competente. In eius electis iur. civil. T. II. Gott. 1777. exercitat. X. §. 6. not. 1.

22) Vid. eius Geschichte der Deutschen. L. IV. C. 11. p. m. 154.

23) Cf. eius Grundsätze des gemeinen deutschen Privatrechts, (ed. II. Gott. 1795. 8.) §. 426.

num Mundiburdium recepissent (de qua re ex privilegio Magdeburgensibus concessio constare, ²⁴) hanc iis libertatem tribuisse. Haec autem sunt privilegii verba: »Otto (I.) divina favente clementia rex. Noverint omnes fideles — — qualiter nos — — ad nutrimentum monachorum in loco Magdeburg dicto, deo illisque (scilicet sanctis) servientium, quem et ipsum locum Romano subiecit Mundiburdio, in proprium damus.« etc. At vero mireris, quo pacto vir ille summus, libertatem Romanam Magdeburgensibus hoc privilegio concessam fuisse, ex hoc loco colligere potuerit, cum ipse alias tabulas, quibus Mundiburdii Romani significatio praeclare illustretur, ²⁵) attulerit. Scilicet hic est loci illius sensus, ecclesiam Magdeburgensem pontifici Romano immediate fuisse subiectam; quod privilegium auctoritate et studio Ottonis I., qui archiepiscopatum Magdeburgensem condidit, impetrasse constat. ²⁶) 2) Deinde de libertate Romana civitatibus concedi solita, intelligit tabulas, quibus Friburgo, civitati in Brisgovia sitae, iura coloniae (scilicet Romanae) a Bertholdo, duce Zaringiae, a. o. 1120 concessa esse vult. ²⁷) At si quis diligentius verba privilegii inspexerit, profecto intelliget, hanc privilegii esse mentem, ut Friburgenses iure Colonienfi uterentur. ²⁸)

B 2

§. 8.

²⁴) Vid. Benj. Leuber de Stapula Saxon. n. 1563.

²⁵) Scilicet Bullam Ioannis XVIII. de libertate episcopatus Bamberg. c. 11. »Sit ille episcopatus, ait, liber et ab omni potestate extranea securus, Romano tantummodo Mundiburdio subditus.« Addere possis alium locum ex bulla Urban. II. d. a. 1096. in Acher. Spicileg. T. VI. p. 22. ubi haec occurrunt: Sancimus, ne quis alterius Archiepiscopatus aut episcopus adversus eandem ecclesiam audeat excommunicationis aut interdictionis proferre sententiam, quatenus idem Monasterium ex ipsius B. Aegidii traditione sanctae Romanae ecclesiae

subditum, Romanae semper libertatis gratia perfruatur.

²⁶) Cf. Schmidt Gesch. d. D. L. IV. C. 15. p. 170.

²⁷) In Schoepflin. Hist. Zaring. Badenfl. T. III. in Cod. dipl. n. 25.

²⁸) Haec enim ibi verba leguntur: Bertholdus, Dux Zaringiae, in loco proprio fundi sui, Friburg videlicet, secundum iura Coloniae liberam constituit fieri civitatem, adeo ut provocaciones a Consulis postea ad Colonienfium iudicium statuerentur. Posteriora verba plane ostendunt, in privilegio de iure Colonienfi s. urbis Coloniae, a Friburgensibus adscito, sermonem esse. Etenim

§. 8.

Denique vero Preuschen, reiecta Treueri sententia, novo modo libertatem Romanam et Francicam civitatibus olim concessam, de iuribus privatis, quibus cives usi sint, explicuit; ²⁹⁾ cui rei argumento esse, quod cives passim ius Francorum fortiti esse, legantur: ³⁰⁾ Eidemque sententiae novissime Eifenhart calculum suum adiecit. ³¹⁾

§. 9.

Iam, si quis diligentius haec, quae de civitatibus libertate vel Romana vel Francica donatis a viris doctis disputata sunt, inspexerit, non dubito, quin nobiscum ita de hoc loco sentiat, satis quidem ostensum esse, discrimen, quod inter utrumque civitatum genus a Treuero factum sit, fundamento plane destitui, nec tamen constare, quo sensu libertas Romana vel Francica civitatibus concessa esse dicatur. Quae de re cum iam disputare animus sit, illud, antequam ad rem ipsam accedamus, monendum esse videtur, libertatis *Francicae* civitatibus concessae nusquam fieri mentionem; sed deberi hanc adpellationem Treueri ingenio, qui, cum libertatem Romanam commemorari vidisset, huic Francicam commode opponi posse, existimaret. ³²⁾ Itaque unice
in

Etenim provocatum est ad eam civitatem, cuius iura in altera erant recepta. Cf. G. L. Boehmer de provocationibus j. Germ. C. II. §. 8. In elect. j. civ. T. II. exerc. II.

29) Preuschen in l. supra §. 2. not. 5. l. p. 95. Plura de hac sententia ad §. deinceps sequentem monebuntur.

30) Cf. Waldschmid de singul. quibusdam et antiquis in Hassia iuribus, p. 5. et, quae infra not. 32 afferentur loca.

31) Cf. Eiusdem Anleitung zum deutschen Stadt- und Bürgerrechte, §. 9.

32) Occurrunt tantum privilegia, quibus civitatibus quibusdam conceditur, ut iure

Franconico utantur: quae ad ius privatum civium pertinere constat. Cf. K. Ph. Kopp Ausführliche Nachricht von der ältern und neuern Verfassung der geistlichen und Civil-Gerichte in den Fürstlich-Hessenkasselschen Landen, Th. I. Cassel 1769. 4. 1. Stück, §. 7. p. 16 lqq. Haec privilegia quod obiter moneo, sententiae a Preuschen propositae originem dedisse videntur. Existimabat scilicet his explicari et illustrari, quid libertate Francica significaretur. Iam cum libertatem Romanam huic opponi videret, ex iisdem etiam libertatis Romanae significationem illustravit.

in eo verfabimur, ut, quid sub libertate Romana, quam Odilo urbi concessam fuisse scribit, intelligendum sit, ostendamus.

§. 10.

Iam vero nobis haec de libertate Romana, quae in loco Odilonis urbi Salza seu Salife concessa esse legitur, (neque enim alium locum, in quo libertatis Romanae civitati alicui concessae mentio fiat, citari, vel legere me memini;) sententia fiat, significari ea liberam testandi disponendique de rebus suis facultatem incolis istius urbis liberalitate Imperatricis tributam. Cui sententiae, ut fidem conciliemus, primo, *posse* hanc verbo significationem tribui, deinde *neesse esse*, ut hoc modo privilegium Imperatricis interpretemur, ostendere placet. *Posse* autem hanc [verbo significationem esse, intelligitur, a) ex conditione et loco, quo tum cives fuerunt. Etenim, quamquam negari non potest, iam sub initia urbium Germanicarum, liberos homines inter cives fuisse; tamen et multo maior eorum pars servilis vel libertinae conditionis erat, et liberi homines sensim oppressi illisque aequiparati sunt: usque dum incolae urbium, divitiis, opibus, bellis, expeditionibus cruciatis, favore Imperatorum aliisque rebus ad ampliorem dignitatis et libertatis gradum eveci sunt. Eo aevo, quo illud privilegium urbi Salza concessum est, trilliora adhuc fata experti sunt; in quibus illud in primis commemorandum est, quod servorum instar, mortuarium ei, cui serviebant, praestare tenebantur. Multa extant privilegia, quibus postea temporis ab hac servitutis nota civitates liberatae sunt,³³⁾ quibus privilegium urbi Salza concessum plane videtur aequiparari posse. Etenim b) ex tabulis, quibus villa Salife Adelheidae ab Ottone M. donatur, partim hanc villam antea ad fiscum regis pertinuisse, partim

B 5

cum

33) De variis nominibus, quibus ius mortuarii venerit, et de eius originibus cf. K. H. Langthilf. *Entwicklung der deutsch. Steuerverfassungen seit der Karolinger bis auf unsere Zeiten.* Berol. 1793. 8. p. 71 sqq.

Privilegia, quibus civitates ab hoc onere liberatae, vid. in Lehmanni Chron. Spil. L. IV. c. 22. L. V. c. 64. Riccii Entw. der Statuten. Fr. et Lips. 1740. 4. p. 224. 273 et passim.

cum omnibus mancipiis et iure pleni domini in Imperatricem fuisse translata constat. 34) Accedit, c) quod libertas, quam nos incolis huius villae tributam fuisse volumus, *Romana* vere dici potuit, cum legibus Romanorum, quibus sua adhuc tum constabat per Galliam auctoritas, 35) haec libertatis seu civitatis Romanae concessae vis esset, ut quis libere de rebus suis disponere posset. 36)

§. II.

At non solum potest, sed etiam *debet* haec libertati Romanae, quam civibus urbis Salla concessam esse vidimus, significatio tribui. Etenim a) liberati sunt cives beneficio Imperatricis. 37) Iam libertatis concessae aut haec ratio esse potuit, ut a potestate ducum comitumve, aut ut a servili conditione liberarentur. Si illud, non erat Imperatricis, hanc eis libertatem concedere. Sin hoc, iure suo hanc eis libertatem concedebat. At nulla Imperatoris mentio. Ergo necesse est, ut posterior-

34) Cf. diploma donationis ab Ottone Imp. factae Adelheidae coniungi, in Meibom. Script. rer. Germ. T. I. p. 752.

35) Si quis testimonia de hac re desideret, adeat Gothofredos (in prolegom. ad Cod. Theod. C. VII.) Conringios, Heineccios, Bieneros aliosque.

36) Cf. Caji institution. L. I. Tit. 1. in Schultingii iurispudentia Antejullin. (ed. Lips. 1737.) p. 4. sqq. Lex I. C. Th. de hered. petit. (L. II. tit. 22.) Opponebantur his, qui civitate Romana donati essent, ii, qui libertate Latina utebantur; qui nec testamenta facere, nec ex testamento succedere poterant. Cf. l. 1. et Salvian. Mas. fil. L. III. contra avaritiam in opp. ex edit. Contr. Rittershusii. Norimb. 1625. 8. T. II. p. 104 et 5. ubi haec verba occurrunt: »In usu siquidem quotidiano est, ut servi, etiam

non optima, certe non improbae, servitutis, *Romana* a dominis *libertate* donentur, in qua scilicet et proprietatem peculii capiunt, et ius testamentarium consequuntur; ita ut et viventes cui volunt res suas tradant, et morientes donatione transcribant More . . . illorum uteris, qui servos suos non bene de se meritos, quia civitate Romana indignos iudicavit, iugo Latinae libertatis addicunt: quos scilicet jubent siquidem sub libertorum titulo agere viventes, sed nolunt quicquam habere morientes. Negato enim iis ultimae voluntatis arbitrio, etiam quae superstitibus habent, morientes donare non possunt.

37) Cf. supra not. 16. Id etiam pro sententia nostra afferri posse videbatur, quod Odilo civitatem non libertate Romana donatam, sed urbem sub libertate Romana conditam esse scribit.

feriorem libertatis speciem significari dicas. Accedit, b) quod haec interpreti regula scripta est, ut eam verbis significationem tribuat, quam ex historia et moribus gentis, ex qua scriptor fuit, illustrare possit. At vero constat tabularum et auctorum fide, eo tempore, de quo Odilo scribit, manumissiones secundum legem Romanam esse factas, iisque *civitatem Romanam* tributam esse dici, quibus ius disponendi de rebus suis concessum esset. 38) Denique c) iisdem argumentis, quibus evicinus, *posse* hanc libertati Romanae significationem tribui, eam reapse verbo *esse tribuendam*, quodammodo efficitur, siquidem illa argumenta et rei, quam verbo significari, et verbi, quo rem appellatam esse volumus, rationem ex historia reddunt.

38) Cf. Formulas manumissionis ap. Baluz. l. l. T. II. p. 423, 466, 476 etc. Goldast in antiquitat. Alem. T. II. p. 27. Pfefling. in Vir. illustr. T. III. p. 901. Cangii Glossar. v. Manumissio. Formulam, quae extat ap. Baluz. l. l. p. 466. integram adscribere placet, cum in primis ad sententiam nostram illustrandam facere videatur: Quod secundum legem Romanam actum est, nullatenus revocetur. Itaque sub die illo, anno illo regni Domini nostri illius Regis, iudictione illa, vir venerabilis ille Diaconus testatur eis, quia stabili sub scriptura manumittere in Ecclesia illa vindictaque liberare famulo illo suo (nomen illo) bene sibi merito secundum constitutionem bonae memoriae Constantini legis, qua fixum est, ut omnes, qui sub oculis Episco-

porum, Presbyterorum, seu Diaconorum in Ecclesia manumittuntur, ad civitatem pertineat, et ab ecclesia defendatur, et vult eum iuxta consuetudinem, cuius commemoratio supra dicta est, ad *civitatem* pertinere *Romanam*, ea tamen conditione, ut eat ubique, quam voluerit partem pergat, tanquam si ab ingenuis parentibus fuisset natus, vel procreatus, et nulli haeredum ac prohaeredum meorum minime quicquam debeat servitutis, *nec libertinitatis gratiam*, nec patronatus obsequium, sed, sicut dixi, sub integra et legitima ingenuitate debeat permanere ingenuus atque securus, et semper *ad civitatem* debeat pertinere *Romanam*, *testamentum etiam faciendi liberam in omnibus habeat potestatem.*

(13-3)

Handwritten text, likely bleed-through from the reverse side of the page. The text is mostly illegible due to fading and bleed-through.

Handwritten text, likely bleed-through from the reverse side of the page. The text is mostly illegible due to fading and bleed-through.

Handwritten text, likely bleed-through from the reverse side of the page. The text is mostly illegible due to fading and bleed-through.



Wittenberg, Diss., 1796-98

ULB Halle

004 335 902



3

f
sb.







21

DE
LIBERTATE ROMANA CIVITATIBVS
GERMANIAE OLIM CONCESSA.

1797 4

SCRIPSIT
ET
PRAESIDE
CAROLO SALOMONE ZACHARIAE

L. U. ET PHIL. D. I. FEVD. P. P.

DIE IV. MENS. AVG. A. MDCCCXCVII.

H. L. Q. C.

DEFENDET,

DIDERICVS HENRICVS LVDOVICVS LEOPOLD
MAGDEBURGENSIS.

VITEBERGAE

LITERIS CHRISTIANI PHILIPPI MELTZERI